







DE STUDIIS,

QUAE

VETERES AD ALIARUM GENTIUM CONTULERINT LINGUAS

SCRIPSIT

JOHANNES FREDERICUS CRAMER.

SUNDIAE MDCCCXLIV,

PROSTAT IN BIBLIOPOLEO LOEFFLERIANO.

Mirum est, quot quantaque discrimina inter veteres interque recentioris memoriae populos appareant, si ad viam, quam in humanitatis studiis tenebant, quaque et pueros et juvenes ad virtutem deducebant, accuratius respexeris. Alia erat rerum divinarum, alia civilium conditio, alii erant in vita publica, alii in domestica. Quae quum ita sint et quum ad juventutem, sive vitiorum semina, quae animis sunt insita atque innata, exstirpare voles educatione, sive bonarum artium praecepta auribus instillare institutione, quasi contagio quaedam omnium rerum pertineat, fieri non potest, quin apud veteres puerilis doctrina alia fuerit ac nostra.

Longum est singula quaeque hoc loco exponere, quibus nostri homines a veteribus abhorreant, quare in uno tantum loco accuratius versabimur, in opera, quam praeter vernaculam linguam in aliarum gentium sermonibus collocaverint et discendis et perscrutandis. Verum enim vero inter utrosque populos id interest maxime, quod veteres hoc studium non tanti aestimarunt, in quod prae caeteris incumberent juvenes literarum studiosi, nostri vero nihil antiquius habent nihilque, quo humanitatis doctrina majora capiat incrementa, inveniri posse existimant. Cujus rei variae eaeque gravissimae sunt causae, quas omnino enumerabimus, ut, si justum posuerimus fundamentum, rem ipsam aggrediamur singulaque hujusce studii vestigia, quae antiqua inveniuntur memoria, persequamur atque ex temporum ordine componamus, quantum pro nostra veterum scriptorum poterimus cognitione, quam, ut hanc rem ab omni parte absolvamus, non satis esse copiosam libenter confitemur, praesertim quum hucusque nemo in hanc materiem ita inquisiverit, ut totam animo sit complexus et ut uno videre possimus conspectu. De Romanis tantum uberius disputaverunt nonnulli, in quibus praecipue Walchius, [1]) Heynius [2]), Dirksenius [3]) sunt nominandi.

---

1) Car. Fried. Walchius de lingua latina, lingua legitima, in Opusc. tom. 1. Sect. 2. Halae 1785. 4.

2) Chr. G. Heyne Commentatio de usu sermonis Romani in administr. provinc. a Romanis probato, in commentationibus societat. reg. scient. Gotting. recentior. volum. I. Gotting. 1811. 4.

3) Civilistische Abhandlungen von Heinr. Edu. Dirksen, 1r B. Berlin 1820, p. 1—92, über den öffentlichen Gebrauch fremder Sprachen bei den Römern. Cf. pag. 2, ubi, quod hac in re, quantum ad Romanos pertinet, mediocriter tantum elaboraverint viri docti, non esse mirum exponit.

Caput primum.

Quid causae fuerit, quod antiqua rerum memoria aliarum linguarum jacuerit studium.

Veteres populi, quorum sedes erant in Asia meridionali atque omnino in iis regionibus, quae mediterraneum includunt mare, pro varia variorum locorum, quae incolebant, conditione, alii aliam induerant naturam. Etenim ut montibus, fluviis, mari inter se fuerunt sejunctae et segregatae singulae gentes, ita suos quaeque colebat deos, quos sibi finxerat animo, quum ipsi dii popularem redolerent naturam, suos retinebat mores et leges, suum denique tuebatur cultum atque habitum, quo factum est, ut alteri cum altera gente non ita magna esset societas atque pauca tantum essent communia. Quod praeterea veterum memoria alter post alterum in publicum prodiit populus rerumque potitus caeteros quosque sub jugum misit atque odio est persecutus, Christiano vero et quidem recentiore potissimum aevo omnes populi sui sunt juris communique omnium civitatum continentur vinculo, quod longe plurimi eundem deum venerantur eademque fere amplectuntur sacra, quodque mercatura, quae nunc major et copiosior, plura undique et apportantur et exportantur, ut de aliis hoc loco taceam, quae infra, ubi occasio tulerit, afferam, equidem veteres *γλώσσῃ λαλεῖν*, recentiores *γλώσσαις λαλεῖν* fere dixerim, si fas est rem profanam sacris appellari verbis. Quo magis in ultimam antiquitatis descendes memoriam indeque rerum historiam repetes, eo magis videbis alterum populum non solum ab altero abhorruisse, verum etiam ipsas gentes tribuum et ordinum diversitate in diversas partes esse sejunctas, quo magis vero ad nostros pervenies dies, eo magis populum cum populo singulosque cum singulis vitam communicare non sine magno cognosces gaudio. Quum omnium populorum ita proferantur fines ferratisque viis hodie ad omnes celerrimus nobis aperiatur aditus, fieri non potest, quin linguarum communio augeatur magnopere.

Itaque non est quod miremur antiquitatis populos variarum linguarum studiis non fuisse addictos, quum linguis, quod cujusque populi est proprium, exprimatur, id vero in aliis gentibus despexerint magnopere atque neglexerint veteres. Etenim alii populi, ut Indi, et loci natura et religionis praeceptis intra terrae suae retinebantur fines, quum omnia expleta cumulataque haberent neque unquam aliena appeterent, alii fuerunt rudiores atque incultiores quam qui praeter suum alienorum discerent sermones, ut Assyrii, Medi, Persae, alii, qui nimia suae doctrinae inflati erant opinione, superbiores quam qui operae esse pretium putarent, ut in aliorum literas artesque incumberent, ut Aegyptii et Graeci, quorum illi

barbaros omnes vocant, qui non eadem, qua ipsi, lingua loquuntur [4]), hi barbaros quasi mutos sive elingues nominabant [5]), eadem ratione, qua tota Slavorum natio Germanos, quorum linguam ignoraret, Njemetz appellabat, in aliis denique, ut in Judaeis, singularis amor, quo sua sacra suasque amplectebantur caeremonias, id effecit, ut, qui alios deos venerarentur, eos magno persequerentur odio, eorumque linguas ac literas ne flocci quidem haberent.

At dicat aliquis, nonne Aegyptios, quorum in vita, moribus, religione insunt, quae cum Indis conveniunt maxime, ab his permulta repetivisse est verisimile? nonne Graeci, ad quos ex Aegypto atque ex Phoenice coloni venisse in iisque vitae ac cultioris vitae tabernacula collocasse feruntur, permulta aliunde arcessiverunt, arcessita ad suum usum conformaverunt atque ita immutaverunt, ut in sua terra nata esse viderentur? Audio, neque tamen unquam haec exempla ex remotissimis temporibus repetita, quae quasi ultra historiae jacent terminos, me commovebunt, ut de mea decedam sententia; multum enim abest, ut alter populus ex justo linguarum studio cum altero contraxerit, ut necessitate ac commercio ducti alii ad aliorum littora naves appulerint, alii alia evexerint aut invexerint. Ubi vero inopia vel lucri studio coacti in eorum perveniebant terras, qui alio utebantur sermone, linguae commercio communique hominum usu, non singulari opera, huncce discebant sermonem. Commercio autem, consuetudine, necessitate nos eo adduci posse ut facilitate quadam linguae cum alienis ac peregrinis colloquamur familiariter, quis est qui nesciat, quum hodie neminem fugere possit, quantum itineribus in externos homines factis in linguarum usu proficiant multi, quantoque et confabulando et pronuntiando prae iis saepe emineant, qui in earum studio desudant magnopere. Quo fit, ut, qui omnia ad vitae utilitatem conferant, ex media sua prudentia umbratilem istam grammaticorum doctrinam despiciant, puerosque, quibus neque Latinam neque Graecam, sed aequalium hominum discendas esse judicant linguas, in solem et pulverem provocare velint, quod ita tantum cognitionis emineant bonitate. Linguarum cognitio, ne de arithmetica arte verba faciam, quantum debeat mercaturae, et quidem non sordidae atque illiberali, sed magnae ac copiosae, vix potest dici; ubi enim ipsi non discebant populorum linguas, ex quibus merces apportabant mercatores, neque in cogitatis gestu expressis atque in muta mercium commutatione acquiescebant, interpretum

[4]) Herod. II, 158.
[5]) Pollux I, 109, ἄγλωσσον Σοφοκλῆς (Trachin. 1049 ed. Hermanni) τὸν βάρβαρον εἶπε.

utebantur opera, quorum origo aeque ac prima multarum linguarum notitia ex mercatu est repetenda. Cujus rei infra complura afferemus exempla.

Quum in aliorum populorum sermones non ita accurate incumberent veteres, fructus quoque, qui ex diligenti variarum linguarum studio oriuntur atque ex mutua earum compositione et comparatione, quae doctrina nostris demum diebus radices agere coepit, in eos non redundasse patet facile. Quare fere omnes, quamquam alii in aliis rebus antecellunt, in grammaticis, etymologicis, philologicis inferiorem tenent locum, quum omnino haec studia apud eos jacerent atque iis tantum temporibus colerentur, quibus nativus populorum vigor sublatus erat atque exstinctus, quibusque simplex et germana, quae fuerat, vita admodum erat mutata, ut Graeci Ptolemaeorum seu Alexandrina aetate, Romani inde a medio secundo ante Christum saeculo hisce studiis se dederunt. [6])

Caput alterum.

Peregrinae linguae, quales sint, accuratius circumscribuntur.

Priusquam vero singula hujus studii persequar vestigia, quibus finibus circumscribatur, paucis praemonebo, quum peregrinas linguas, ut his utar verbis, tales esse intelligam, quae a se invicem ita abhorreant, ut neque bene cognoscere neque recte proloqui possimus, nisi singulari studio libros peregrino illo sermone conscriptos legerimus aut praesentes mutuo commercio cum alio populo consueverimus ejusque sermoni et os et aurem nostram assuefecerimus. Neque igitur varios unius arboris ramos sive varias unius linguae dialectos huc referam, nisi aut ab initio aut tempore procedente ita in diversas declinaverunt partes atque cum alienis ita sunt commixtae elementis, ut prorsus aliis loqui videantur linguis, qui talibus utuntur dialectis. Graecos enim, quos dialectorum copia multis aliis antiquitatis populis potiores fuisse jam ab aliis egregie est expositum[7]), peculiares loquendi rationes, quae in sua essent lingua, bene intellexisse atque quatuor illas dialectos, Aeolicam, Doricam, Ionicam, Atticam ab omnibus, si eruditiores ac non ex infima eaque prorsus inculta plebe erant, facile esse cognitas nemo negabit, praesertim quum varia literarum genera, tamquam animi imagines, in certis quibusdam dialectis, ut in nummis, accurate essent expressae. Sic Herodotus, in Dorica urbe natus, suas historias Ionicis scripsit literis, quippe quae rebus enar-

[6]) Sunt tamen, qui veteribus quoque philosophiam, quae in lingua versetur perscrutanda, tribuere velint.
[7]) In quibus Ahrens nostris diebus singulas dialectos exponit accuratissime.

randis convenirent optime, sic Hesiodus, Aeolicis Cumis oriundus, Ionica cecinit carmina, sic Callimachus hymnum in Minervae honorem factum Dorica eaque gravissima scripsit dialecto.

At pro illorum temporum consuetudine, qua ad sermones, utrum a se prorsus abhorrerent an cognatione quadam inter se essent conjuncti, non ita accurate animum adverterunt, saepius linguas esse diversas judicaverunt, ubi, si majore diligentia rem inspexissent, communes singulis esse leges ac normas bene cognovissent. Quo fit, ut non solum Herodotus[8]) Ionicarum in Asia urbium, quum Ionica lingua ex singulari hujus stirpis agilitate atque ex varia variorum locorum, quae incolebant, natura plurimas quasi debebat agere gemmas, nam ex quatuor dialectis quas omnes norunt, magna orta est multitudo, ut Laconica, Alexandrina, Argiva, Cretica, Boeotica, aliae, quatuor esse sermonum genera judicet, sed etiam ii, qui levi digito hanc rem attingunt, multo majorem diversarum linguarum esse censeant copiam, quam, qui accuratius in eam inquirunt, concedere posse sibi videantur,[9]) quamquam etiam hi de linguarum cognatione saepius inter se dissentiunt magnopere. Satis est, ut hoc loco unum afferamus exemplum, memorasse Buschmannum armis equisque pugnare contra Boppii judicium, qui Malaicas linguas, in multis insulis Asiae orientali adjacentibus, cognationis vinculo cum Indicis Europaeorum linguis censet esse conjunctas.

Ne vero justos dissertationis nostrae fines transgrediamur neve a proposito aberrantes ex aliis in alia proripiamur, quod in nostro argumento facile potest fieri, haec atque nonnulla alia, quae praemonenda videantur, omittamus ipsamque rem aggrediamur.

Caput tertium.

De Scythicae linguae studio atque interpretibus agitur.

Prima exempla alios discendi sermones ex medio fere saeculo septimo a. Chr. n. nobis sunt repetenda, quo tempore Medorum et Aegyptiorum pueri praeter linguam, qua utebantur natura, alteram jubebantur discere a regibus Cyaxare et Psammeticho, et quidem non eam ob rem, ut animis essent cultiores atque me-

[8]) Herod. I. 142. αἶται δὲ αἱ πόλιες τῇσι πρότερον λεχθείσῃσι ὁμολογέουσι κατὰ γλῶσσαν οὐδὲν, σφὶ δὲ ὁμοφωνέουσι.

[9]) „Azara kennt allein am Plata-Flusse 35 durchaus verschiedene Sprachen, und schliefst daraus, dafs in America ohne Uebertreibung 1000 Sprachen sind.“ Steffens Anthropologie II. 377. In Africa sind nach Seetzen und Vater 140 Sprachen. Ritters Erdkunde I, 231.

liores, sed, quam solam hujus studii esse causam apud mediocres homines supra exposui, ut quam plurima vitae quotidianae inde caperent commoda et ipsi et res publica, in quam hujus prudentiae fructus redundarent maxime. Etenim Cyaxares, Medorum rex, quorum terram Scythae nomades exercitibus suis inundaverant, hospitibus, qui in ipsius peregrinabantur regno, quosque plurimi aestimasse fertur, Medicos pueros tradidit imbuendos lingua Scythica et sagittandi artificio,[10]) ut, quod equidem intelligam, cum lingua mores et consuetudines discerent, itaque in Scythis opprimendis suam doctrinam in patriae conferrent salutem. Neque enim magna Scytharum eruditione eximiaque eorum lingua commotus id videtur jussisse Cyaxares.

Caeterum apud Scythas in eorumque confiniis, ubi permulti ac diversi habitabant populi, maxima erat linguarum copia, indeque maxima necessitas, ut in rebus contrahendis, vendendis, emendis interpretes haberent, per quos sua expedirent negotia. Sic Scythae, qui cum Graecis ad Pontum Euxinum habitantibus mercaturam faciebant, septem utebantur interpretibus, qui septem linguis negotiabantur Herodotea aetate.[11]) Quin adeo Dioscuriadem, Colchorum urbem, septuaginta, imo, ut nonnulli dicunt, trecentas nationes, quae dissimilibus linguis uterentur, descendisse ibique postea non minus centum triginta interpretibus sua ac Romanorum gessisse negotia, memoriae est proditum.[12]) Qua illarum regionum conditione fieri potuit, ut Mithridates rex, qui inter omnes antiquitatis homines plurimarum linguarum eminuit peritia, duarum et viginti gentium, de quibus regnabat, edisceret linguas.[13]) Atque, Gellio auctore,[14]) quinque et viginti gentium, quas sub ditione habuit, linguas percalluit, earumque omnium gentium viris haud unquam per interpretem locutus est, sed, ut quemque ab eo appellari usus fuit, proinde lingua et oratione ipsius non minus scite quam si gentis ejus esset, locutus est. Hodie quoque, qui Scytharum sunt posteri, facilitate quadam incredibili peregrinarum literarum sibi parant dexteritatem usu ac consuetudine.[15]) Medio aevo, quo aliarum linguarum studium altiores habebat radices quam antiqua me-

[10]) Herodot. I, 73.

[11]) Herod. IV, 24.

[12]) Plin. histor. natur. VI, 5. Strabo XI. pag. 497, 498, 506.

[13]) Valer. Maxim. 8, 7, 16.

[14]) Gellius 17, 17.

[15]) Die Kosacken haben viel Sprachtalent und sprechen die ihnen sonst fremden asiatischen Sprachen trefflich. Ritters Erdkunde II, 1, 799.

moria, Seres in Asia orientali, quum tot populos, partim Scythicos, quibus occidentem et septentrionem versus erant circumdati, sine interpretibus in potestate retinere non possent, jam initio saeculi quinti decimi per urbes in finibus sitas condiderunt scholas, in quibus octonae aut denae linguae eodem docerentur tempore.[16])

Caput quartum.

Primum Graeci studii affertur exemplum Graecaque cum Romanis componuntur.

Praeter Indos nulla gens a caeteris ita vixit seclusa ac segregata, ut Aegyptiorum usque ad Psammetichi regis aetatem, qui eodem fere tempore, quo Cyaxares Medorum erat rex, de Aegyptiis regnabat. Psammetichus id potissimum egit, ut sui cives, qui peregrinos oderant, hominum congressus ac societatem minus metuerent, quare aliis populis et quidem maxime Graecis suam aperuit terram, portus ac sedes tradidit, tantumque Aegyptiorum cum peregrinis effecit commercium, quantum antea non viderant. Aegyptios ut arctius cum Graecis conjungeret, illorum pueros Graecam linguam doceri jussit, a quo inde tempore Graeci cum Aegyptiis ita erant commixti, ut omnia, quae deinceps horum in terra fiebant, bene cognoscere possent. Ex iis enim, qui Graeca lingua discebant uti, quique Aegyptiorum primi alterius sermonis erant periti, interpretes sunt facti, qui in mutuo utriusque gentis commercio mercatoribus iisque, qui per Aegyptum itinera facerent, adessent maxime.[17]) Secundum Diodorum Siculum,[18]) apud quem in insula quadam maris meridionalis homines feruntur habitasse, qui longe optima linguarum discendarum facultate erant praediti,[19]) tanto literarum Graecarum amore inflammatus erat Psammetichus, ut suos quoque filios eas doceri juberet.

Neque vero unus Psammetichus Graeco prae caeteris favebat sermoni, quum per totam antiquitatem Graeca in omnes terras proferrentur tantamque auctoritatem sibi pararent, quantam nulla unquam lingua illis temporibus sibi paravit, nam ne Romani quidem aeque ac Graeci suas literas longe lateque differre potuerunt, non solum quod Romana lingua,

[16]) Cf. de his interpretum scholis a Sinensibus anno 1407 conditis clarissimi Humboldtii librum de media Asia scriptum, cujus certam paginam, quum mihi nunc ad manus non sit, hoc loco afferre non possum.

[17]) Herod. II, 154. πρῶτοι γάρ οὗτοι ἐν Αἰγύπτῳ ἀλλόγλωσσοι κατοικίσθησαν.

[18]) I, 67.

[19]) Vide miram eorum descriptionem II, 56.

pro majore sua gravitate ac severitate, non ita blanditiis in hominum aures influit animisque irrepit, verum etiam quod Romani, id quod maximi esse momenti censeo, orbem terrarum in deditionem suam redigere, suumque sermonem una cum suo imperio proferre studebant; reipublicae enim commovebantur ratione, ut suae dialecti dilatarent potentiam, quo factum est, ut subjecti populi contra Latinam linguam, quippe quae esset tyrannorum ac dominorum, infensum retinerent animum. Romani, quo latius suum proferebant imperium, eo magis, si quid cum peregrinis agebant aut contrahebant populis, Latina utebantur lingua, etiam tunc, ubi cum Graecis agebant, quamvis aeque Graece ac Latine loqui possent. Quod ipsis Valerii Maximi [20]) verbis potest probari optime, quae haec sunt: Magistratus prisci quantopere suam populique Romani majestatem retinentes se gesserint, hinc cognosci potest, quod inter vetera obtinendae gravitatis judicia illud quoque magna cum perseverantia custodiebant, ne Graecis unquam nisi Latine responsa darent. Quin etiam ipsa linguae volubilitate, qua plurimum valent, excussa, per interpretem loqui cogebant; non in urbe tantum nostra, sed etiam in Graecia et Asia: quo scilicet Latinae vocis honos per omnes gentes venerabilior diffunderetur. Nec illis deerant studia doctrinae, sed nulla non in re pallium togae subjici debere arbitrabantur: indignum esse existimantes, illecebris et suavitate literarum imperii pondus et auctoritatem domari. [21])

Reipublicae majestatem cum Latinae linguae usu intime esse conjunctam religiosa censebant fide Romani, quum oraculum, quod primis regibus editum esse ferebatur, publice cecinisset, fore ut fortuna secunda Romana cederet civitate, ubi patrii sermonis essent obliti. [22]) Contra Graeci ab omni regnandi cupiditate alieni esse videbantur, itaque suis literis magis magisque novas parabant sedes. Verum enim vero ut medio aevo Latina de omnibus regnare videmus linguis, ita antiqua rerum memoria Graeca summum obtinebant imperium, et quidem maxime propter colonias, quae in omnes maris mediterranei oras deductae erant easque, clavi instar in tunica, occupaverant. Graeca enim per Italiam inferiorem, quae ipsa Magna Graecia appellabatur, imo per totam hanc terram erant disseminata, Graeca in Galliae atque Hispaniae oris florebant, Graeca Carthagine

[20]) 2. 2, §. 2.

[21]) „Opera data est, ut imperiosa civitas non solum jugum, verum etiam linguam suam domitis gentibus imponeret.“ Augustin. de civit. dei 19, 7.

[22]) Dirksen l. l. pag. 8, 9, 17.

ac Cyrenis legebantur, Graeca denique inde ab Alexandro Magno per totam Asiam sunt propagata. [23]) Imo Ciceroniana aetate Graeca legebantur in omnibus fere gentibus, Latina suis finibus, exiguis sane, continebantur. [24])

Caput quintum.

De Semitarum ac Persarum agitur lingua, et de regiis interpretibus.

Priusquam in Graecarum literarum studium accuratius inquiramus, de Semiticarum linguarum stirpe, quam dicunt, ea sunt afferenda, quae ad nostrum pertinent locum. Nebucadnezarem, clarissimum illum Chaldaeorum regem, qui non multo post Psammetichum regnavit, pueros quatuordecim circiter annorum ex Judaeorum gente, quando summo loco nati et ingenii facultate et corporis pulchritudine excellebant, secum educasse per triennium, quod primum triennii juvenibus literarum studiosis praescripti nominant exemplum viri harum rerum periti,[25]) ut sibi aliquando adessent muneribusque aulicis assuescerent, et in sacris legimus scriptis[26]) et apud Josephum.[27]) Praeter alia, quibus hi pueri instruebantur, Chaldaicae seu potius Babylonicae linguae iis imposuit studium, ipseque rex triennio absoluto ex iis videtur examine quodam rigoroso quaesivisse, utrum bene in literis versati fuissent, nec ne. Itaque Chaldaeorum lingua,[28]) quamvis cum Hebraeorum cognatione quadam et communione esset intime conjuncta, non bene uti potuerunt Judaeorum pueri sine justo studio, in quod hanc ob rem incumbere jubebantur, quum Aramaicam linguam, quae plura cum Hebraeis videtur communicasse neque ita ab iis alienata fuisse, certe nobiliores et eruditiores ex Judaeis bene callerent, qui legatorum fungebantur muneribus, hujusque sermonis usum ab Assyriis peterent, ne Judaeorum plebs, quae agerentur, cognosceret.[29]) Equidem crediderim Aramaicam linguam, qua Nebucadneza-

---

[23]) Niebuhr: Römische Geschichte p. 69 edit. tertiae: Es zeigt sich eine zauberische Gewalt der griechischen Sprache und Nationalität über fremde von ihnen berührte Völker auch da, wo keine solche Verwandtschaft denkbar ist. Cf. I, 151 et 10.

[24]) Cicero pro Archia poeta c. 10.

[25]) Ut Henricus a Seelen: de stipendiatis literariis Nebucadnezaris. Lubecae 1737.

[26]) Daniel I, 3—6 et 17—20, de quo loco multa verba fecit Bucher in: die von dem Könige Nebucadnezar zu Babel angelegte Ritteracademie. Zittau 1743. In: Biedermanns acta scholastica, vol. sextum, pag. 443—466.

[27]) Joseph. antiquit. Judaic. X, c. 12, initio: *παιδαγωγοῖς καὶ τῇ δι' αὐτῶν θεραπείᾳ παραδίδωσι — τὸ δὲ αὐτὸ καὶ τοῖς ἐκ τῶν ἄλλων ἐθνῶν ὅσα κατεστρέψατο — καὶ τὰ τῶν Χαλδαίων ἐξεδίδασκε γράμματα.*

[28]) De qua cf. Gesenius, Geschichte der hebräischen Sprache S. 62.

[29]) Regum II, 18, 26. Jesaias 36, 11. Esra 4, 7.

ris quoque utebantur ministri,[30]) communem fuisse omnium Semitarum sermonem, eundemque fere locum obtinuisse, quem recentiore aetate ea Germanorum lingua, qua libri scribuntur, quaque politioris humanitatis colloquuntur homines, quum ii, qui omnis eruditionis sint expertes, peculiari ratione colloquantur ac permagna dialectorum utantur multitudine, quas omnes communis doctorum lingua complectitur.[31]) Fieri quoque potuit, ut in bibliotheca, cujus unum in sacra scriptura habemus exemplum,[32]) quaeque Nehemiae collecta erat temporibus, Aramaici inessent libri, nisi forte sacros tantum et religiosos libros in hunc literarum receperant thesaurum. Caeterum Hebraeorum linguam in aliis sacrae terrae vicis aliam fuisse singularemque locorum naturam redoluisse, non est quod fusius exponamus, quum ex communi hominum ratione pateat et singulis probetur exemplis.[33])

Interpretum adjumentis non solum mercatores in rebus contrahendis indigebant, sed eorum multo latius patebant officia. Regibus potissimum, ubi de multis iisque diversis populis regnabant, quorum alii aliis loquebantur sermonibus, interpretes erant necessarii, per quos de provinciarum precibus certiores fierent ac caverent, ne singulae regni partes facile dilaberentur neve dissolverentur. Neque minus in mutuis rebus, quae intererant inter Persas et alios populos, interpretum carere poterant peritia. Itaque Persarum reges, quorum regnum tot tantasque gentes, inter quas fere nullum linguae commercium, suis complectebatur finibus, quantas vix aliud regnum, interpretes potissimum in comitum ac ministrorum habebant numero, quorum opera uterentur, si quid rogarentur, ut Darius, Hystaspis filius, a Sylosone,[34]) et quidem maxime in itineribus, quae quotannis per ditiores regni provincias faciebant, quum ex tripartita annorum commutatione hiberno tempore Babylone, vere Susis, aestate Ecbatanis sedem ac domicilium haberent. Satrapas eorum populorum, quibus praepositi erant, populares voces intellexisse iisque collocutos esse, id quod Alexander Magnus postea non neglexit, pro ea, quae Persarum erat superba dominatio, vix credo, quam ob rem his quo-

---

[30]) Daniel 2, 4.

[31]) Cf. de Aramaeis eorumque lingua Strabo I, p. 42 et Gesenius, hebräisches und chaldäisches Handwörterbuch, Einleitung pag. XVI.

[32]) Maccabaei II, cap. 2, vers: 13.

[33]) Cf. evang. Marci c. 14, v. 70 de peculiari Petri ac Galilaeorum locutione, ac de tota hac re. Genes. 1, 11. Jesai. 33, 19.

[34]) Herod. III, 140.

que interpretes videntur adfuisse. Ipsa haec superba orientalium regum dominatio causa est, quod nescio quibus in fundamentis Blumii, Dorpatensis professoris, sententia nitatur, ex qua in ipsa Persicorum regum aula non Persice sed Chaldaice collequebantur aulici homines, et cum rege et inter se, quaque regis jussa non Persicis sed Chaldaicis aut omnino Semiticis consignabantur literis [35]). Nostra quidem aetate, ad cujus similitudinem provocat Blumius, fieri potuit, ut Francogallorum lingua non solum, qui legatorum obeunt munera, uterentur, verum etiam reges atque qui in regum animos influere volebunt, Gallice loquerentur ita, ut sui populi, in quo nati erant, prorsus ignorare viderentur linguam, sed alia est nostra civitatum conditio, quae communi vinculo itaque communi lingua sunt conjunctae, alia antiquarum. Huc accedit, ut Graeci scriptores Persicae aulae Persicique in ea sermonis interdum faciant mentionem, de Semitica vero lingua a Persarum regibus usurpata ne verbum quidem dicant. Sane quidem Persarum reges non sine maximo commodo pro Persico sermone, qui, ut bene monuit Blumius, angustis inclusus erat finibus, suo jure Semitica quadam usi essent dialecto, quum per maximam regni partem a Tigri fluvio usque ad mare mediterraneum, et a mari Erythraeo usque in Armenios Semitarum florerent dialecti, Persicos vero tyrannos se ad rempublicam populique gratiam accommodasse, vix potest credi.

Caput sextum.

Graecos aliarum linguarum studia optimis suis temporibus prorsus ignorasse ac detrectasse docetur.

Graecos in aliorum populorum sermonibus discendis nullam posuisse operam, quippe qui summa suae doctrinae admiratione elati caeteros ut rudes atque incultos despicerent, jam supra paucis commemoravimus. Apud Homerum ex tota, quae heroicae antiquitatis hac in re erat conditio, nullius fere praeter Graecam fit mentio linguae, omnesque fere semper penitus intelligunt, quid caeteri quique sibi velint, etsi diversissimis adscripti sunt populis, nam Iliadis IV, 436 et 437:

οὐ γὰρ πάντων ἦεν ὅμος θρόος, οὐδ' ἴα γῆρυς,
ἀλλὰ γλῶσσ' ἐμέμικτο· πολύκλητοι δ' ἔσαν ἄνδρες,

quo loco diversos Asiaticorum sermones innui censent grammatici, non ad diversam linguarum naturam retulerim, sed ad populorum consuetudinem, qua unius linguae syllabas aut corripiunt aut producunt, quaque aut venustius aut negligen-

[35]) Herodot und Ctesias von Blum, 1836.

tius literas exprimunt.[36]) Quem locum ut ita explicemus non solum communi illius aetatis more commovemur, verum etiam Odysseae loco, qui illius est simillimus, lib. XIX, v. 175 etc.

ἄλλη δ' ἄλλων γλῶσσα μεμιγμένη. ἐν μὲν Ἀχαιοί,
ἐν δ' Ἐτεόκρητες μεγαλήτορες, ἐν δὲ Κύδωνες,
Δωριέες τε τριχάϊκες, δῖοί τε Πελασγοί,

ubi in insula Creta aliae aliorum fuisse dicuntur linguae, et quidem praeter priscos Cretenses et Cydoniatas Achaeorum, Doriensium tripartitorum, Pelasgorum linguae, quae hoc loco sunt dialecti seu sermonis ac vocum modulationes. Neque minus Cares rustico quodam more Graeca pronuntiasse, non alia ac peregrina lingua usos esse, ut Sintii, qui Lemnum insulam incolebant, rudes ac barbari in sermone fuisse dicuntur, apud Homerum legimus.[37]) Ne multa, Homerici homines ita bene quid sibi velint, intelligunt, ut neque unquam ad gestus confugiant, quibus, quae animis cogitant, exprimant, neque interpretibus utantur, nisi forte praeconem, quem Ulysses tertium eligit ac duobus adjungit, quos ad Lotophagos et Laestrygonas mittit legatos, huc vis referre.[38])

Ubi angustos illos Graeciae et Asiae minoris fines, intra quos Iliadis et maximam partem Odysseae continetur quasi theatrum, excedit Homerus, eorum quoque populorum, qui peregrinis ac barbaris sonabant vocibus, facit mentionem. Tales videntur fuisse, ad quos et Menelaus et Ulysses in magnis suis erroribus appellebantur navibus, quosque omnino Graeci heroica aetate omnium remotissimos sibi fingebant animo.[39])

Saepius quidem fieri potuit, ut populi, qui Trojanis auxilio adessent, non Graece loquerentur sed barbarorum, non Graecorum, lingua uterentur, duces vero ac reges, penes quos heroico illo aevo summa erat potentia, quum vulgus vix ullius esset momenti, a pueris per nutrices Graecis videntur assueti, quae jam antiquissimis temporibus in terras adjacentes fuisse diffusa est verisimillimum. Etenim ut apud nos principum ac nobilium infantes nonnunquam Gallicis aut Britannicis committuntur educatricibus, ut mature Gallice aut Britannice balbutiant,

---

[36]) Sic Freder. Aug. Wolfius in notis, quibus primos quatuor Iliadis libros interpretatur, voces θρόος vernaculis verbis Geschrei, Lärm, et γλῶσσα Sprechart, Dialekt, vertit.

[37]) Illos βαρβαροφώνους, in Iliade II, 867, hos ἀγριοφώνους in Odyssea VIII, 294, nominat.

[38]) Odyss. IX, 89 et X, 102.

[39]) Odyss. III, 302, XIV, 43, XV, 452, I, 183, ubi Nitschius in notis, quibus ἀλλοθρόους ἀνθρώπους, quales sint, accurate explicat, nonnulla in nostrum usum attulit.

ita principes, qui in Asia minore et in insulis Graeciae vicinis regnabant, et filios et filias Graecis videntur tradidisse nutricibus, nam quod Venus narrat,[40]) se Otrei, Phrygii regis, filiam a Trojana nutrice Trojanam seu Graecam linguam esse doctam, itaque utriusque sermonis, et patrii et Graeci, accepisse usum ac cognitionem, id forsitan non singularem rem, sed communem illius aetatem redoleat consuetudinem.[41]) Eadem causa Romani, qui suos liberos Tuscam docebant linguam, ex Etruria arcessiverunt nutrices, quarum usu et consuetudine ludendo quasi Tusce loquerentur et cum lacte linguam quoque sugerent.[42])

Alterum bellum, quo cum Asiaticis manus conseruerunt Graeci, Persicum erat bellum. Neque vero hoc bello magnoque commercio, quod esse debebat, quum res repeterent, pugnas denunciarent, ne dicam de communi utilitate, quae ex cognito hostium sermone oritur, eo perduci potuerunt, ut in Persarum linguam aliquam impenderent operam. Haud scio an tunc Persica magis oderint ac despexerint Graeci, quam Homerica aetate, qua nondum tanta suae sapientiae inflati erant opinione, quanta peregrina, quaecunque erant, postea et despiciebant et fastidiebant.[43]) Itaque Themistocles, quum patria expulsus ad Artaxerxem confugeret, per annum Persarum literis ac sermoni dedit operam, tantumque in his studiis profecit, ut multo melius cum rege colloqueretur, quam qui in Perside erant nati.[44]) Ut Themistocles, ita non multo post Alcibiades Persicam discebat linguam, qui Pharnabazi gratiam sibi conciliaturus Persica quoque induebatur veste.[45]) Ne Xenophon quidem, qui cum Cyro minore societatem inierat eumque suis adjuverat copiis, Persico carere potuit interprete.[46])

Caput septimum.

Inde ab Alexandro omnes fere populos aliam didicisse linguam, Graecam, Graecos nullam, demonstratur.

At tota rerum antiquarum conditio, qua singuli quique populi erant sejuncti neque communi inter se continebantur vinculo, magnopere est muta-

[40]) Homeri hymnus in Aphrodit. v. 113.
[41]) De singulari natura Phrygiae linguae cf. Herod. II. 2.
[42]) Cramer, Geschichte der Erziehung I, 363 et 379, ubi Mucii Scaevolae exemplum attulimus, et II, 703, ubi de cura, quam Plutarchus in nutricibus Graecis eligendam esse censet, verba fecimus.
[43]) Thucyd. I, 3, ibique interpr.
[44]) Thucyd. I, 138, Cornel. Nep. Themistocl. c. 10, Cramer l. l. II, 696, ubi Quintiliani hac de re memoratum est judicium.
[45]) Athenaeus XII, 535, e.
[46]) Anabas. IV, 5, 10 et 34.

ta cum Alexandro Magno, qui primus cum Macedonum ac Graecorum finibus linguarum quoque protulit fines et commiscuit, qui obices, quibus alius ab alio erat segregatus populo, quasi solo aequavit, qui denique aeque Aegyptiorum, Babyloniorum, Judaeorum deos coluit iisque thura sparsit ac Graecorum, itaque omnes omnium populorum deos conjunxit ac communes, non singulorum populorum, esse voluit.[47]) Tanta inde facta est rerum mutatio, ut unus, qui in clarissimis nostrae aetatis numeratur historiarum scriptoribus,[48]) ab illo recentiorem hominum repetere velit aetatem atque historiam. Jam ipsam Graecorum linguam, quae tunc orta est, quum multa aliena ac potissimum Asiatica immiscerentur, quibus a nativis suis legibus decederet, Hellenisticam seu Graecissantem seu Alexandrinam, non Hellenicam seu Graecam appellaverunt viri docti,[49]) nam Alexander, quum Persas et Graecos, Asianos et Europaeos intime conjungere vellet, id potissimum egit, ut mutuo linguarum commercio foedus redderetur firmissimum ac Graecae literae per Asiam disseminarentur. Etenim ut Athenienses, ex quo publica Graecorum libertas bello Peloponnesiaco erat oppressa, in literis atque in philosophia, Socrate maxime auctore, plurima praestabant, sic omnino Graecorum lingua ab eo inde tempore, quo aliorum arbitrio erant subjecti, per totum terrarum orbem longe lateque est diffusa.

Graecarum literarum propugnacula in Asia Graecae potissimum erant coloniae Graecaeque urbes, quas plus septuaginta in expeditione sua condidit Alexander quarumque numerum ejus successores auxerunt magnopere.[50]) Prae caeteris Seleucidae oppida permulta idoneis condiderunt locis, quibus Graecas literas tuerentur ac defenderent, ac saltem triginta quatuor urbes, quae plurimae Graecorum retinerent cultum ac sermonem, a Seleuco Victore sunt constitutae, nam ut Germanorum mores Christianorumque religio et literae medio aevo nulla re tantopere propagabantur, quantopere per urbes aut recens conditas aut prioribus incolis ereptas, ita Alexandri et Romanorum aetate urbes liberalium artium erant castella, in quibus a barbaris tutae colerentur.

---

[47]) „Zum ersten Male seit Alexander dehnt sich über die Völker, Griechen wie Barbaren, der Begriff einer Gemeinschaft aus etc." Geschichte der Bildung des Hellenischen Staatensystems von Droysen, S. 17. Cramer a. a. O. I, 320.

[48]) Gervinus multis locis, ut: Historische Schriften II. 126 sequ.

[49]) Cf. Parthey, das Alexandrinische Museum pag. 137.

[50]) Multas Graecas colonias per Asiam conditas accurate enumeravit Droysen l. l. pag. 587—750.

Inde ab eo tempore, quo Alexander, Seleucidae, Attalici reges in Asia regnaverunt atque in oppidis novi imperii ac novarum literarum certas firmasque habuerunt sedes, Graeca lingua per maximam illius terrae partem magistratuum erat lingua, qua publice utebantur quaque de rebus suis ad reges referebant, communi vero ac vulgari sermone rustici tantum loquebantur, iique, qui ex infima erant plebe. Ipsas Darii Codomanni filias post pugnam ad Issum captas in Graecis literis erudiri jussit Alexander per Graecos magistros, quibus hocce demandaverat munus [51]. Mox tantopere per Asiam Graeca florebant studia, ut Cappadocum, Ponti, Parthorum, Armeniorum reges Graecos induerent mores Graeceque loquerentur. Orodes, Parthorum rex, Graecae linguae Graecarumque literarum minime erat rudis, in quibus Artabazes, Armeniae rex, tantum profecerat, ut tragoedias, orationes, historias Graece scriberet, ac per Jasonem Trallianum, tragoedum, versus ex Euripidis Bacchis recitari juberet, ut triumphum de Crasso reportatum celebraret splendidissime. [52] Ipsi Crasso Parthi eo paraverant insidias, quod pacis simulaverunt conditiones Graece scriptas. [53] Magis magisque Graeca populares represserunt dialectos, ut Syria lingua per vicos tantum loquerentur utque S. Hieronymus nonnullis saeculis post diceret, Galatas excepto sermone Graeco, „quo omnis loquitur oriens", propriam linguam habere. [54] Pergamenorum reges quantopere Graecis faverint literis, hoc loco non exponam, quum hac de re optime egerit Fredericus Wegener in libro de aula Attalica literarum artiumque fautrice scripto. [55] Pergamena illa literarum studia adeo videntur fuisse mere Graeca, ut nonnisi Graecos libros colligerent, ac nonnisi Graece scriberent. Uberrimo enim Graecorum librorum apparatui magnisque ac splendidis bibliothecis, quas reges Attalici condiderunt Pergameni, num libri accesserint linguis barbaris conscripti, incertum est ac valde dubium, quum nusquam veteres auctores tale quid memoraverint. [56].

Neque tamen illo tempore, quo Graecia cum Asia et quidem maxime cum Perside fuit conjuncta, Persicae linguae studium tanta apud Grae-

[51]) Diodor 17, 67.
[52]) Arriani quae fertur historia Romanorum Parthica, tom. III, p. 68 ex edit. Schweigh.
[53]) Arrian l. l. p. 63 et Plutarch. M. Crassus c. 31.
[54]) Droysen p. 32, qui harum rerum testes attulit Hieronymum et Chrysostomum.
[55]) Praeter Wegeneri librum cf. de schola Cratetis Mallotae Pergamena scr. Bernh. Thiersch. Progr. Dortm. 1834.
[56]) Wegener p. 80.

cos cepit increments, quanta ex nostra exspectaverimus aetate, quantaque ipse rex pro rerum, quas animo volvebat, amplitudine velle debebat, quum Graeci, qui sibi humanissimi ac doctissimi esse videbantur, Asiana ac barbara prorsus fastidirent ac despicerent. Quamvis multi essent satrapae, quos Alexander multis novi regni praeposuit provinciis, quosque magis magisque ex Macedonibus elegit, unus tantum Peucestes, Persidis legatus, prae omnibus operam dedit, ut Persice loqueretur.[57]). Multo minus eorum sermonum, quibus in minoribus ac vilioribus utebantur provinciis, periti erant satrapae, ut Pharnuches, qui Sogdianorum callebat linguam.[58]).

Summi literarum artiumque fautores erant illis temporibus Ptolemaei, qui Aegypti sibi paraverant imperium, quam in terram Graecam linguam Graecumque tanto studio transtulerunt cultum, ut vel Attalicis regibus palmam eriperent. Alexandria fuit Graecarum literarum caput, ubi de omnibus rebus Graece disputaverunt viri docti, quos plurimos eo convocaverant reges, quibusque literarum colendarum demandatum erat munus, ut, qui nuperrime de Alexandrino scripsit museo, communem quasi doctrinae Alexandrinae sermonem Graecum posuerit, neque de aliarum linguarum usu cogitaverit.[59]) Multas vero in illa urbe fuisse commixtas linguas, et quidem Hebraicam potissimum et Graecam praeter Aegyptiam, non solum ex illius terrae situ, quo medium tenet locum inter orientem et occidentem, inter meridiem et septentrionem, inter Semitas maxime et Graecos, verum etiam ex illa narratione, quae per Graecissantes Judaeos, praecipue per Aristeam, de septuaginta aut pentateuchi aut veteris testamenti circumfertur interpretibus, patet aperte.[60]) Qui quidem interpretes, quos primum mercatorum fuisse adjutores supra vidimus, magis magisque literis artibusque maxima praebebant commoda, quum complurium aut certe duarum linguarum essent gnari, atque ita ex altera in alteram transferrent linguam, quae maximi esse momenti

---

57) Arriani exped. Alexandri VI, 30, *μόνος τῶν ἄλλων Μακεδόνων — φωνὴν τὴν Περσικὴν ἐκμαθών.*

58) Droysen, Geschichte Alexanders S. 321.

59) Parthey, das alexandrinische Museum. Berlin 1838, pag. 59: „Es versammelte sich ein grosser Kreis von Schülern aus allen Städten hellenischer Zunge.“ Cf. p. 137, de dialecto Alexandrina, et p. 129: „In der engsten Verbindung mit der Ausarbeitung von Noten und Kommentaren steht das Studium der hellenischen Sprache als solcher, die nähere Bestimmung ihrer Dialekte u. s. w.

60) Parthey p. 37—50. Berthold, Einleitung in die Schriften des alten und neuen Testaments I, 517 etc. Eichhorn, Einleitung in das alte Testament I, 313. Syncelli Chronographia I, p. 516 ed. Bonnensis. Georgii Cedreni historiarum compendium I, 289: *Πτολεμαῖος ὁ φιλάδελφος τὴν μεταβολὴν τῶν θείων γραφῶν καὶ λοιπῶν Ἑλληνικῶν, Χαλδαϊκῶν, Αἰγυπτίων καὶ Ῥωμαϊκῶν εἰς δέκα μυριάδας ἀριθμουμένων βιβλίων, πασῶν τε ἀλλογλώσσων οὐσῶν, εἰς τὴν Ἑλλάδα γλῶσσαν μετεποίησε διὰ τῶν ὁ σοφωτάτων Ἑβραίων.* —

singulorum quorundam virorum his in studiis premebant vestigia, ut Aegyptii Ptolemaeorum, Syrii Seleucidarum, Pergameni Attalicorum, sed omnibus erat persuasum Graecam scientiam ad veram pertinere humanitatem, quamquam imperatorum aetate, quorum Hadrianus ob nimium Graecarum rerum studium Graeculus appellabatur, fieri potuit, ut nonnulli eorum gratia commoti Graecos aemularentur. Etenim ut orbem terrarum sibi subjecerunt Romani, ita varios variorum populorum deos, mores, literas magis magisque in medio sui imperii gremio, in ipsa urbe[88]) et fovebant et colebant, quare medium quasi tenent locum inter veteres interque recentiores gentes, atque a simplici seclusaque vivendi et cogitandi ratione, quae illarum fuerat, nobis ad eas transitum parant gentes, quae communi religionum vinculo conjunctae communem defendebant causam, quarumque medio potissimum aevo Christiani occidentem terrarum orbem, Arabes orientalem sibi vindicabant, et quidem ita, ut non singulae gentes singularem ac nativum tuerentur cultum atque habitum, ut potius suos cum aliarum communicarent moribus religionisque doctrinam divinitus patefactam ac pluribus gentibus communem summa fortitudine et defenderent et ejus fines proferre studerent. Neque vero eorum tantum, inter quos religionis erat communio, quique eidem deo thura spargebant, arctior erat vitae ac linguae societas, verum etiam, quum Christiani, quo magis ad humanitatem excitabantur, eo magis haereticis quoque fidem esse servandam censerent ac caeteros quosque homines fratres esse existimarent, fieri non potuit, quin eorum literas ac linguas dignas haberent, in quas majore incumberent diligentia.

Caput nonum.

De Tuscis, Punicis, Graecis Romanorum studiis, quibus florente republica et publice et privatim se dederunt.

Priusquam Romani[89]) Graeca, quibus studebant maxime, in suum transferrent usum, ad ipsas Italiae linguas, si quae majore dignae videbantur opera, animum advertebant, quippe qui, quum semper sibi constarent ac consentirent, aeque domi ac militiae non turbulenter hinc illinc decerperent flores, sed firmo gradu progredientes alteram post alteram terram sibi subjicerent, itaque varios hominum

---

[88]) Cramer II, 563.

[89]) Romanis quantum fuerit linguarum commercium, optime exposuit Dirksenius in commentario supra laudato, qui hujus rei testis est locupletissimus. Multum abest ut huic in publico aliarum linguarum usu nonnulla addamus, ut non pauca ommittamus, quae altius videntur repetita, neque ita accurate cum hoc loco cohaerent.

cultus ac mores in suam redigerent ditionem. Ne de vicinis populis, quibuscum communi lingua, et Latina et mere Osca, quae in Atellanis maxime florebat ludis, fuerant conjuncti, verba faciam [90]), Tuscorum literae artesque longe maximi fuerunt momenti in antiquissima Romanorum republica. Livius enim habebat auctores vulgo tum Romanos pueros, sicut postea Graecis, ita Etruscis literis erudiri solitos [91]), nam magnum utriusque populi et linguae olim erat commercium, quum Romani a Tuscis rerum divinarum maxime repeterent cultum, quarum in sacris libris divinitus quasi exscripta erant praecepta, quumque Etruscae disciplinae volumina postea quoque in summo essent honore. Neque etiam Latine, sed Etrusce mihi videtur scriptum Romanorum, quod cum Porsenna icerunt, foedus, quamvis Plinius dicat, „in eo nominatim fuisse comprehensum, ne ferro nisi in agricultura uterentur", id enim ad universum argumentum, non ad ipsam linguam retulerim, ut Dirksenius fecit. [92]).

Jam ubi alios populos sub suam redegerunt potestatem Romani, ut inde maxima caperet incrementa res publica curaverunt, magnopere. Itaque auctore M. Catone, peregrinis literis ac moribus alioquin inimicissimo ex senatus consulto Magonis Carthaginiensis libri, quos duodetriginta de agricultura scripserat, ex Punico in Latinum versi sunt sermonem, „quum regulis Africae bibliothecae donarentur." In viris linguae Punicae peritis, quibus id dabatur munus, prae caeteris eminuit D. Syllanus. [93]) Romani enim, qui agricultura nihil habebant antiquius, Carthaginiensium linguam inde ab altero Punico bello, quocum Graeca quoque civitatem impetrabant, saepius videntur audivisse et cognovisse, ut adeo Plautus, qui non multo post vixit, in Poenulo suo Punica immiscere iisque ac Milphionia oris depravatione auditorum risus posset commovere [94]). Neque minus quo tempore medicorum scientia primum ad Romanos pervenerat, de medicina, „quae tota in Graeciae migraverat linguas" [95]) (Graece enim plerumque erant scripti medicorum libri) Pompejus magnus per libertum suum Lenaeum Mithridatis illius, quem devicerat, quique, ut linguarum

---

[90]) Niebuhr I, 65. sequ., qui Latinos natione Opica fuisse docuit, et Dirksen p. 33.

[91]) Liv. 9, 36, et Cramer I, 363.

[92]) Plin. hist. natur. 34, 14, Dirksen p. 5.

[93]) Plin. histor. natur. 18, 3.

[94]) Versuch einer Erklärung der punischen Stellen im Pönulus des Plautus. Drei Programme von Bellermann. Berlin 1808, praecipue I, 23 u. II, 6.

[95]) Plin. hist. natur. 29, 1. Cramer II, 573.

multarum, ita medicamentorum eminebat cognitione, quum de venenis ac de antidotis scriberet, scripta Latine reddi jussit.[96]) Mithridatis antidotus celebratissima erat, atque ab eo nomen fertur traxisse.[97])

Longe maximum Graecarum literarum apud Romanos erat studium, jam iis temporibus, quibus prorsus jacuisse plerumque censent.[98]) Initio quidem interpretibus, quos primum in mercaturae, deinde in literarum commercio vidimus sibi adjunxisse homines aliarum linguarum imperitos, utebantur Romani, si quid cum cultioribus Graecis de legibus aut pace agebant, ut Hermodorus Ephesius tribus legatis, qui in Graeciam mittebantur, ut hujus terrae leges atque instituta noscerent, medio saeculo quinto a. Chr. n. aderat interpres[99]), procedente vero tempore magis magisque Graeca in suum convertebant usum ita, ut ipsi Graece loquerentur neque interpretum indigerent auxilio. Quod statim non ita prospere cessisse Romanis legatis, Luciumque Posthumium, quum praeter insolitum vestitum Graece minus bene loqueretur, Tarentinis risum movisse anno 281 a. Chr. atque ab iis contumeliose esse tractatum, non est quod miremur.[100]) Mox vero Romanos in publicis rebus alius ac Romanae linguae usum non satis dignum sua habuisse praestantia ac majestate, quare interpretes legatis suis adjungebant, qui Latina explicarent singularique populorum sermone exprimerent, Valerii Maximi loco supra probavimus.[101]) Itaque quum nefas esse judicarent in republica gerenda a Latino decedere sermone, ejusque usus magis magisque pio majorum sanciretur usu, factum est, ut ineunte bello Punico altero, quo tempore Graeca apud Romanos minime erant ignota, Q. Fabius Pictor, qui legatus a Delphis Romam rediret, oraculi responsum ex scripto recitaret, recitatum ex Graeco carmine interpretaretur.[102]) Magistratibus, qui cum imperio in provincias proficiscebantur, magnum interpretum numerum pro provinciarum natura ac conditione fuisse additum, per quos cum incolis colloquerentur, quique in provinciis plerumque liberti, captivi,

---

[96]) Plin. l. l. 25, 2.
[97]) Gellii noct. Attic. 17, 16.
[98]) Niebuhr III, 364—366.
[99]) Plin. hist. nat. 34, 5.
[100]) Appian. I, p. 57 ed. Schweigh. et Niebuhr l. l.
[101]) pag. 8.
[102]) Liv. 23, 11.

transfugae erant, quum Romae atque in rerum gravitate optimis tantum id demandaretur munus, jam ab aliis accurate est expositum[103]), Romani enim, rati suae quid detrahi majestati, si in peregrinorum sermonibus paciscerentur ac colloquerentur, plerumque nonnisi Latine cum alienis conferebant.[104]) Cicero, qui in Latinis literis multa mutavit, quum philosophiam ex Graecia Romam transferret Graecaque ac Romana una quasi redderet, fuit primus, qui consul Graecorum legatis Graece loquentibus publice aures praebuit eosque sine interprete audivit. Neque minus in Sicilia, quum in Verrem inquireret, cum Syracusano senatu Graece egit, non Latine[105]), atque in Cilicia, cui provinciae praefectus erat, Graecis incolis Graecos judices permisit eligendos, Graecaque ut videtur, judicia.[106]) Novum hunc morem, quo suis seu Tiberii diebus curiam Graecis actionibus aures praebere non sine dolore narrat Valerius Maximus, nam magis magisque invaluerat, a Molone rhetore, Ciceronis repetit magistro.[107])

Prudentia ducti, qua omnia ad suum commodum referebant in rebus publicis Romani, interdum Graece, nam alio nunquam videntur collocuti esse sermone, non Latine cum peregrinis agebant populis, et quidem ab eo inde tempore, quo post confectum bellum Punicum secundum, Macedoniam, Graeciam, Asiam in suam redigebant ditionem, itaque Graecam linguam in civitatem recipiebant. Etenim ut Graecorum sibi pararent gratiam eosque a Macedonum in Romanorum traherent partes, praeter alia Graeco quoque utebantur sermone. Non solum T. Quinctius Flamininus, a quo in tumulis Cynoscephalis Macedones erant fusi fugatique, et cum Macedonibus et cum Achaeis Graece est collocutus, Graecasque urbes per praeconem liberas atque immunes esse jussit,[108]) verum etiam Aemilius Paulus, qui Graecis literis magnopere delectabatur, Persen regem, qui supplex ad genua procumbere conabatur, allevavit Graecoque sermone ad spem est exhortatus.[109]) Neque minus quum Aristonicus, qui Eumenis secundi

103) Dirksen p. 10, 11, 17, sequ. de publicorum interpretum sorte et conditione.

104) Dirksen p. 19—23, ubi, quando ab hac decesserint norma, est expositum.

105) Valer. Maxim. II, 2, Cic. Verrin. Act. 2, Lib. 4, c. 66; ad Attic. 6, ep. 1 et 2.

106) Dirksen p. 25.

107) Valer. Maxim. II, 2, 3.

108) Plut. Flamin. c. 5 u. c. 12. Flaminino, quum apud Graecos esset gratiosissimus, statua, quae Graece esset inscripta, a Graecis videtur esse dicata. Cf. Dirksen p. 27—31 de peregrinarum linguarum usu in inscriptionibus ac nummis.

109) Plut. Aemil. Paulus c. 26—29. Liv. 45, 8. Amphipoli vero in publica Macedonum concione ex tribunali Paulus Latine, quae sibi ex consilii sententia visa essent, pronuntiavit, eaque Cn. Octavius praetor interpretata sermone Graeco referebat. Liv. 45, 29.

se ferebat filium, Pergamenum regnum ab Attalo tertio Romanis legatum suam vindicaret hereditatem, Licinius Crassus consul, qui contra eum missus rem male gessit, tantam Graecae linguae navavit operam, ut eam in quinque divisam genera per omnes partes ac numeros penitus cognosceret eoque maximum sociorum amorem sibi conciliaret, quum non solum cuique communi Graeco sermone, verum etiam singulari dialecto decreta redderet. [110])

Romani, quum non solum terrarum orbem sibi subjecissent, verum etiam omnium populorum deos Romam quasi transtulissent, patrios deos patria colebant lingua, ut et Graecos Graeco venerarentur sermone et ad matris Idaeae cultum ex ipsa Phrygia arcessererent sacerdotes, qui paterno ritu deae justa solverent. Sub imperatoribus vero posterioris aetatis, ubi Graeca magis magisque in Romanorum penetraverant animos, etiam in festis vere Romanis dii Graecis adorabantur vocibus, ut regnante Septimio Severo Saeculari festo et Graeci et Romani hymni a patrimis et matrimis canebantur pueris. [111])

Omissis publicis rebus restat, ut ad privatam animum vertamus operam, quam in peregrinis sermonibus, seu potius in Graeca lingua posuerint Romani, huic enim prae caeteris linguis studebant maxime, quum quidquam ita ad humanitatem posse parare viam honestissimi quique negarent. Quod et usu vitaque quotidiana probaverunt, et doctrina ac ratione stabiliverunt Romani. Etenim quum apud Graecos summi philosophi, qui de puerorum educatione et institutione scripserunt accurate, Socrates, Plato, Aristoteles, alii, ne cogitaverint quidem cum animis suis de utilitate, quam, si non omnes homines, certe juvenes literarum studiosi possint percipere ex alienarum linguarum cognitione, quum de his studiis altum obtineant silentium neque ullum faciant verbum, quum denique a Pythagora, quem Crotone in Italia inferiore fugere non potuit, eosdem homines variis uti linguis, [112]) alio ac patrio seu Graeco sermone loqui vetarentur discipuli, auctore Jamblicho, [113]) apud Romanos prorsus aliter judicaverunt rerum scholasticarum scriptores, deque Graecis studiis disputaverunt copiosissime. Cicero magnum,

---

[110]) Plin. l. l. 25, 2.

[111]) Zosimi histor. ineunte lib. II.

[112]) Vide quae pag. 20 de Tarentinis atque de Oscis bilinguibus attulimus.

[113]) Jamblichus de Pythagorae vita cap. 34, §. 241. Cramer II, 138. Jamblichum, quamvis ei in aliis rebus non semper sit fides habenda, hac in narratione sine ulla sequimur dubitatione, quippe quae prorsus quum omnis antiquitatis tum Graecorum redoleat opinionem.

quem inde perceperat fructum, quod Graecos libros bene Latine reddiderat, laudavit suumque exemplum aliis proposuit imitandum.[114]) Neque minus filio suo, quem optime docendum curavit mognopere, de ratione dicendi Graece tradidit praecepta,[115]) quod sine ulla difficultate facere potuit, quum ipse Xenophontis Oeconomicum, Demosthenis et Aeschinis orationes, Platonis Timaeum seu librum de universitate, Arati phaenomena e Graeca in Latinam vertisset linguam.[116]) Jam adeo tunc invaluerant Graeca, ut, quum Cicerone puero Lucius Plotius primum Latine docere coepisset, doctissimorum hominum auctoritate contineretur, qui Graecis exercitationibus ingenia melius posse ali existimarent.[117]) Quinctilianus quoque, quo nullus neque praestantior neque accuratior Romanorum magister in puerorum erudiendorum doctrina, Graeca priora esse oportere in legendi scribendique initiis atque a Graecis puero discenti esse auspicandum judicat, neque decedit a veterum oratorum sententia, qua Graeca in Latina esse vertenda censebant, unde aeque copia ac facilitas veniret maxima.[118]) Eodem modo Plinius Secundus utile inprimis esse censet, ex Graeco in Latinum vel ex Latino vertere in Graecum,[119]) atque Plutarchus, ne male pronuntiarent Graeca pueri, nutrices, quae Graece bene loquerentur, esse eligendas, in libro de educatione scripto exposuit.[120])

Quae quum ita essent, et quum Graeca ad eloquentiam, qua nihil melius, nihil altius, nihil pulchrius Romanis erat, et eloquentia ad summos honores quasi patefaceret aditum, ad unum omnes, qui in republica atque in literis majora appetebant, Graecis studuisse magnopere, quum inde maxima sibi viderentur parare commoda, nemo est qui negabit. Multi igitur erant Romani, qui Graece et dicerent et scriberent, ut M. Aemilius Lepidus Porcina, qui anno 137 a. Chr. erat consul, in quo oratore ex Ciceronis sententia primum apparuit Graecorum lenitas, verborum comprehensio, artifex stilus.[121]) Horum, si inter suos praestiterint, afferre nomina ab hoc loco non erit alienum, ubi primum de iis, qui

---

[114]) Sueton. de claris rhetor. c. 1 et 2. Cramer II, 604.
[115]) Orator. partit. c. 1.
[116]) De offic. II, 24, orator c. 7.
[117]) De oratore I, 4. Brut. c. 45, 47, 90.
[118]) Quinctil. institut. I, 4. X, 5. Cramer II, 664 et 676.
[119]) Epp. VII, 9.
[120]) Cramer II, 703.
[121]) Cic. Brut. c. 25, §. 96.

docendo Graeca excitaverint studia, paucis egerimus, nam quum de Graecis Romanorum magistris alii scripserint, ut Suetonius in libro de illustribus grammaticis, quumque haec ipsa pars in obscura nostra re sit optime exposita, non est quod fusius hoc loco ad eam respiciamus.

Livius Andronicus, qui capto Tarento Romam venit, Homeri Odysseam Latinam reddidit, quae eo majoris erat momenti, quod ab illo inde tempore usque ad Horatii aetatem pueris praelegebatur.[122]) Neque minus Ennius, poëta semigraecus, domi forisque utraque docuit lingua.[123]) Ennius, qui Catonis, si non in Graecis magister, tamen aequalis erat,[124]) quique duas Euripidis tragoedias, Hecubam et Medeam, in Latinum vertit sermonem, ac multas alias literas ex Graecia Romam transtulit, Graecos modos Latinis adaptans fidibus, prae caeteris linguarum videtur fuisse peritissimus, illa aetate, qua variae variorum populorum linguae artesque Romae, quo confluebant, coeptae sunt colligi ac commisceri. Ennius enim, tria corda se habere dicebat, quod loqui Graece et Osce et Latine sciret[125]), eodem modo, quo clarissimus Francogallorum scriptor, Montaigne, in suo animo tres inesse contignationes gloriabatur[126]), Carolusque quintus, Germanorum imperator dixisse fertur, homines, quot linguas discerent, tot in se recipere animos, id quod ipse sua expertus est vita, suoque probavit exemplo.

Sub Ennii mortem Crates Mallotes, grammaticus clarissimus[127]), quem aut ab Eumene secundo aut ab Attalo secundo legatum Romam esse missum demonstravit Wegener[128]), quum Romae in cloacae foramen prolapsus crus fregisset, per omne legationis et valetudinis tempus publicas habuit lectiones seu ἀκροάσεις[129]), studiumque grammaticae in urbem intulit.[130]) Pompeji Magni aetate Cratetis quoque discipulus Asclepiades, qui juvenili aetate Alexandriae, magistro Apollonio, studiis vacaverat, Romae, quo postea erat profectus, docuit

---

122) Ut Livius in tragoediis suis Graeca sequebatur exempla, ita Cn. Naevius Aeschylum et Euripidem imitatus esse dicitur. Cf. Bernhardy röm. Liter. 175.

123) Cramer I, 411.

124) Bernhardy p. 176—179.

125) Gellius 17, 17, Cramer I, 484.

126) Hamann: Kreuzzüge des Philologen, 1762, „Jede Sprache fordert eine Denkungsart und einen Geschmack, die ihr eigenthümlich sind, daher prahlte Ennius mit einem dreifachen Herzen, fast wie Montaigne u. s. w.“

127) Wegener p. 110 sequ. et Thierschii programma supra laudatum p. 15.

128) Wegener p. 55

129) De continuis hisce lectionibus inde ab Aristotelis tempore fusius disputavimus, Cramer II, 419.

130) Suet. de illustr. gr. c. 2.

literas.[131]) Quum Graecos philosophos, inter quos Carneades prae caeteris eminebat, majorem Graecarum literarum incendisse amorem jam supra memoraverimus, non est, quod in hac re diutius commoremur, praesertim quum inde a medio altero a. Chr. saeculo per mille Graecos obsides, qui in Italiam abducti per varias hujus terrae urbes habitabant, atque eo, quod Graecia etiamtunc prorsus subacta erat, Graecae literae ita apud Romanos et Italos divulgarentur, ut vix singulorum praeceptorum afferre posses nomina, neque, si posses, quidquam referret. Id tantum tetigisse sufficiat, quod Ovidius[132]) praecipit:

Nec levis, ingenuas pectus coluisse per artes,
Cura sit et linguas edidicisse duas.

Itaque ex privatis parietibus umbratilique praeceptorum doctrina in forum procedamus atque a schola ad vitam progrediamur.

Medio fere secundo a. Chr. saeculo Acilium Graecarum literarum fuisse peritissimum Graeceque annales scripsisse supra diximus. Jam ante eum, sub bellum Punicum alterum, quum Latina minus culta ac polita esset lingua, quam qua in annalibus componendis aut historiis conscribendis uterentur, Fabium Pictorem et Cincium annalistas fuisse, qui Romanorum primi annales suos conficerent Graece, est verisimillimum.[133]) Neque minus A. Albinus Romanas res Graeca scripsit lingua. Mox vero Scipiones, quos, ut Fabiam gentem[134]), Graecis valde esse delectatos inter omnes notum est, tantum Graecarum literarum incitaverunt amorem, ut M. Porcius Cato, qui Graecam linguam Graecasque artes oderat maxime atque hanc ob rem in Scipionum inimicitia longius est provectus, non posset quin senex Graeca disceret, quod tam felici fecit successu, ut septuaginta annos natus intelligeret optime.[135]) Catonem ita sero Graecis literis studuisse non est mirandum, quum non solum Graeca fastidiret, verum etiam virili aetate, quae fuit plerumque opti-

[131]) Wegener p. 161.

[132]) in arte amandi 2, 121 et 122.

[133]) Dionys. Halicarn. antiqu. Rom. I, 6: Ἑλληνικῇ διαλέκτῳ συνέγραψαν ὧν εἰσι Κόϊντος Φάβιος καὶ Λεύκιος. Cf. prae caeteris: Baumgart, de Fabio Pictore, antiquissimo Romanorum historico. Wratisl. 1842. Partic. I, p. 19—23.

[134]) Cf. quae Meyerus praeclare annotavit ad Cic. Brutum c. 21, §. 81.

[135]) Cic. de senect. 8, 26, cf. 11, 38. Corn. Nep. Cato c. 3. Cramer II, 573—575. Baco de Verulam de augm. scient. I, p. 9 (edit. Francof.) Catonem ait, pro nimiis, quae in Graecas literas conjecisset maledicta, justas ac legitimas dedisse poenas.

morum Romanorum conditio, reipublicae forensibusque negotiis esset deditus, ut ad Graecas Musas confugere non posset, quo factum est, ut Romani saepius tunc, quum a publicis negotiis requiescerent, in hunc se reciperent portum. Sic Antonius quoque orator sero ac leviter Graecas attigit literas.[136])

Quum Ennius et Cato, qui viginti annis post Ennium est mortuus, senes essent, linguae Graecae studium Romae maxime videtur crevisse. Cajus enim Sulpicius Gallus, quo praetore 169 a. Chr. Ennius, quum Thyestem fabulam docuisset, vita est defunctus, „omnium nobilium Graecis literis studuit maxime."[137]) In his Ciceronis verbis id inesse fere crediderim, nobiles juvenes hisce studiis, aut quod Romana pluris aestimabant quam Graeca, aut propter pigritiam quandam, non valde fuisse deditos, atque a plebejis diligentia atque industria esse superatos, quorum Tiberius Gracchus, qui bis consul erat anno 177 et 163 a. Chr., tunc ita bene in Graecis esset versatus, ut Graecam apud Rhodios haberet orationem. Longum est Decimum Brutum, M. filium, Rutilium[138]), Aelium Tuberonem, L. Philippum, Catonem Censorium, alios laudare, qui oratores, rerum scriptores, philosophi, et quidem maxime Stoicae sectae addicti[139]), magnum apud Romanos Graecae doctrinae habebant nomen, longum est Ciceronis familiares, Q. et D. Valerios, qui dicebantur Sorani a patrio oppido ad Lirim sito, quique et Graecas et Latinas docti erant literas, quum non solum Romae, verum etiam in provinciis Graeca discerentur[140]), Lucium Aelium, item utrisque literis eruditissimum praeter insignem actorum scriptorumque veterum Romanorum eruditionem[141]), multis celebrare verbis. Itaque paucos tantum hoc loco commemorabimus, qui prae caeteris Graeca sua doctrina eminebant.

M. Piso Calpurnianus, Peripateticus philosophus Pompejique bello Mithridatico legatus, ex omnibus, qui ante fuerunt, maxime Graecis doctrinis fuit eruditus.[142]) L. Crassus, orator clarissimus, Graece sic loquebatur, nullam ut nosse

---

136) Cic. de orat. I, 18, 82.

137) Cic. Brut. c. 20, §. 78.

138) Athenae. IV, p. 168: *οὗτος δ' ἐστὶν — αἴτιος γενόμενος Ῥουτιλίῳ τῷ τὴν Ῥωμαϊκὴν ἱστορίαν ἐκδεδωκότι τῇ Ἑλλήνων φωνῇ.* Cf. Cic. Brut. 29, 110.

139) Cic. Brut. c. 30, 30, 114. c. 47, 173 et 175. c. 67, 236. Stoicorum et Epicuraeorum philosophia mature per Catium, Amafanium, alios Romam est propagata.

140) Cic. Brut. c. 46, 169.

141) Ibidem c. 56, 205.

142) Ibid. c. 67. 236.

aliam linguam videretur[143]), ejusque talis erat humanitatis gloria, qualis Attici, qui sic Graece loquebatur, ut Athenis natus esse videretur, Graeceque librum de Ciceronis, cui erat familiarissimus, conficeret consulatu.[144]) Quid de Cicerone dicam[145]), qui quum in omni literarum Graecarum genere erat versatus, tum primus Romanorum vere Graecam philosophiam in Latium transtulit? Ipsum Aristotelem, cujus nervositatem aeque ac Platonis ubertatem Theophrastique dulcedinem bene perspexit, quum non in magistri juraret verba sed undique optima quaeque eligeret, dilexit valde, neque ab ejus, quamvis intellectu essent difficillimus, abhorruit studiis.[146]) Quae quantaque Graeca Ciceronis fuerit doctrina neminem fugiet, qui vel levi digito ejus attigerit scripta. Neque minus de Horatio tacere possumus, praesertim quum in Graeca ejus studia duumviri in literarum republica jam ante me inquisiverint.[147])

Etiam feminae, quas incorruptam antiquitatem servare judicat Cicero, quod multorum sermonum sint expertes, Graecam non ignorabant linguam, non solum castae et bene moratae matronae, ut Cornelia, Gracchorum mater, quam vel Graecorum philosophorum, Diophanis Mitylenaei et Blossii Cumani, delectatam esse colloquiis est notum, verum etiam levissimae, quae artium ac doctrinae quoque lenocinio juvenes capere studebant, ut Sempronia, quae Catilinariae conscia erat conjurationis.[148])

Neque vero semper in studiis Graecis rectam tenebant viam, saepiusque nimia Graecae linguae admiratione abrepti justum excedebant modum. Etenim ut apud Germanos, apud quos saepius peregrinarum rerum extra pondus oritur admiratio, decimo septimo et octavo factum est saeculo, ut nobiles iique, qui nobilitatis simularent speciem, linguam vernaculam dediscerent ac despicerent, rati ejus usu aliquid de sua diminui auctoritate, utque oris sui depravatione Gallorum verba corrumperent, sic nonnulli Romani in mala arte, qua aliam suae praeferrent linguae, videntur suam collocasse operam, quamquam non ita multi eo stultitiae progrediebantur, quo nostrates, neque ita se proponebant irridendos, ut

---

[143]) Cic. de oratore II, 1, 2.

[144]) Nep. Attic. c. 4 et 18.

[145]) Cf. quae supra attulimus p. 26.

[146]) Stahr: Aristoteles bei den Römern p. 32 sequ.

[147]) De Horatii Graecos imitandi studio ac ratione scr. Wenschius. Wittenberg 1829. De Horatii studiis Graecis scr. Rotter. Gleiwitz 1836. Uterque in progammate scholastico.

[148]) Cic. de oratore III, §. 45. Sall. Catil. c. 25. Cramer I, 372.

certos quosdam ordines patrii sermonis puderet, quod Germanorum nobilitatem atque equestrem fecisse ordinem omnes sciunt. In Romanis, qui nimio Graecorum tacti erant studio numerandus est T. Albucius, (vixit sub 120 a. Chr.) qui et lingua et morum levitate paene Graecus erat Latinamque linguam adeo fastidiebat, ut Lucilius eum satiris suis salse carperet.[149]) Eodem modo C. Memmius Gemellus, qui tribunus plebis L. Lucullum anno 66 a. Chr, ex bello Mithridatico redeuntem vexavit asperrime, atque, praeter alia, carmina reliquit amatoria,[150] in Graecis perfectus erat literis, Latinarum sane fastidiosus.[151]) Quum patricii Graecis non ita accurate studerent, nescio an plebeji nimiam interdum operam iis dederint apud Romanos, quae ratio prorsus alia in nostra erat patria eo, quod attigi, tempore, nam Albucium quoque plebejis esse adnumerandum vix dubito.[152])

Utut est, sive bene sive nimis Graecis studebant Romani, id certe patebit, ultimis reipublicae temporibus Graecam linguam commune fuisse vinculum, quo fere omnes homines, nisi omnis eruditionis erant expertes, continebantur, tantique fuisse momenti, quanti medio et recentiore aevo Latina fuit lingua.

Caput decimum.

Graeca studia imperatorum tempore adumbrantur.

Imperatoribus regnantibus Graeca studia non fuisse minora, sed, quantum fieri potuit, majora, est verisimillimum. Jam sub Augusto, qui non levem in Graecis posuerat operam[153]) Aegyptiisque suam veniam Graeca promiserat oratione[154]), tanta fuit utriusque linguae peritia, ut, quum in Capreas secessisset imperator, legem proponeret, qua Romani Graeco, Graeci Romano habitu et sermone uterentur.[155]) Ab Augusti inde tempore elegantiorum atque urbaniorum quorundam videtur fuisse, ut, si expedite uno tenore loqui non possent Graece,

---

[149]) Cic. Brut. c. 35, 131. de finibus I, 3, 9. Orator. 44, 149.

[150]) Sic studia cum vita ac moribus cohaerent!

[151]) Brut. c. 70, 274.

[152]) Quamvis certis probare non possim documentis, quum neque Ernestii clavis Ciceroniana, neque Orellii onomasticon, neque Ruperti stemmata familiarum Romanorum, neque Augustini liber de familiis Romanorum in Graevii thesauro antiquitatum Romanarum, tom. VII, meam sustulerint dubitationem.

[153]) Sueton. Aug. c. 89,

[154]) Dio Cassius 51, 16.

[155]) Suet. Aug. c. 98.

Graeca certe Latinis immiscerent verbis, ut Ciceronis interdum grata est negligentia in epistolis potissimum ad Atticum scriptis, utque Lucretius in poemate de rerum natura [156]) vel poeticum nobis ante oculos posuit exemplum. In Augusti epistolis saepe habemus Graecas voces Latinis insertas,[157]) multique alii imperatores, ut Tiberius, Claudius, Caligula, Nerva, Vespasianus, Domitianus, qui adeo arcui sibi instructo Graeca inscribi jussit verba, quod tunc quoque a publico abhorrebat usu,[158]) in colloquiis ac familiaribus sermonibus magnam ita Graecarum literarum ostentabant aut doctrinam aut — negligentiam.[159]) Praeterea ut Augustus, si quid Latine scripserat, alii cuidam dedit vertendum in Graecum sermonem, sic omnino erant liberti, qui „magistri ab epistolis Graecis" nominabantur, (ut alii „magistri ab epistolis Latinis") quique aderant imperatoribus.[160])

Jam si, florente republica, consuetudine erat sancitum, ne quis apud patres alio ac Latino sermone loqueretur, neve Graece ad senatum referret, hunc morem sub imperatoribus valde esse mutatum, jam supra attigimus, ubi de Ciceronis auctoritate, quanta in publicis rebus atque in literis fuerit, egimus. Tiberius et ipse multa in senatu Graece dixit Graeceque respondit.[161]) Claudius etsi in Lyciorum legatum propter Latinae linguae ignorantiam superbius egit, non raro in senatu Graece dixit Graeceque respondit.[162]) Praeter Graeca Tuscis quoque studiis fuit deditus Tuscamque disciplinam omni modo servare studuit.[163]) Nero, si non in senatu, tamen Corinthi, quum tota Graecia ad Isthmicos confluxisset ludos, Graece publice est locutus, ac Vespasianus Antiochiae in theatro coram provincialibus Graecam habuit orationem.[164]) Neque fieri potuit, quin per Hadrianum, quippe qui Graeca lingua prope una uteretur, hominumque irrisione postea demum moveretur, ut Latinae majorem navaret operam,[165]) multi, qui imperatori ex intimis erant, ad Graeca compellerentur studia.

---

156) IV, 1154—1164.
157) Suet. Tiber. 21, Claud. 4.
158) Suet. Domit. 13. Dirksen p. 73—75.
159) Tacit. Annal. 4, 52, 58. 3, 65. 6, 20. Suet. Tiber. 10 et 56. Claud. 42 et 43. Calig. 22, 29, 47. Nerva 38. Vesp. 23. Domit. 12 et 18. Dirksen p. 40 et 60.
160) Dirksen p. 43.
161) Dio Cass. 57, 15.
162) Dirksen p. 61 et 66.
163) Tacit. Annal. 11, 14 et 15. Niebuhr I, 422.
164) Plut. Flamin. c. 12. Tacit. hist. II, 80.
165) Spartian. Hadr. c. 3.

Post deperditam rempublicam ita invaluit Graecarum literarum studium, ut praeter pedestrem sermonem in poematis Graecis conficiendis operam ponerent Romani juvenes, quae intra privatos parietes una cum declamationibus et Graecis et Latinis, et suasoriis et controversiis, esse docta ac reddita est verisimile.[166]) Auctoribus Caligula, Nerone, quo regnante Graeci amictus, quibus tunc induti plerique incesserant, exoleverunt, Domitiano publice quoque Graecae Latinaeque facundiae habita sunt certamina.[167])

Ut inde a medio secundo ante Chr. saeculo Graecae literae magna diligentia coeptae sunt tractari, sic a medio secundo post Chr. saeculo aliae linguae cum Germanorum ac Sarmatarum expeditionibus, quae Marcomannicis bellis fiebant adverso flumine Danubio, et cum Persicis bellis in Romanos fines sibi videntur parasse viam, nam quo magis Romanorum potentia minuebatur, eo magis lingua Latina, quae si non in vita communi, tamen in curia ac judiciis tenuerat principatum, a summo dejecta est fastigio. In iis, quae Romani imperatores cum barbarorum contrahunt regibus, illi plerumque Graeca utuntur lingua, hi aut sua, ut Chosroes Persica, aut Graeca, quae tantam habebat auctoritatem, ut Graeci legati, si quid ad imperatorem referebant, ipsi suo sermone verba facerent, nequedum interpretum egerent auxilio. Quo major erat linguarum copia, quarum voces Romanas circumsonabant aures, eo major interpretum copia ac necessitas, quo factum est, ut Romae omnium gentium essent interpretes, quorum cura officiorum demandata erat magistro.[168])

Quum qualis apud jurisconsultos imperatorum aetate Graecae linguae fuerit usus, Dirksenius[169]) melius et accuratius exposuerit, quam quod a nobis, pro nostra hujus rei ignorantia, ab ulla parte possit emendari aut augeri, ad hunc delegamus lectores. Praeterea Aegyptios, Asiaticos, Italos, qui sub imperatoribus Graece scripserunt, hoc loco non sine justa omittimus causa, ne, quum nihil novi afferre possimus, literarum historias aut exscribamus aut excerpamus.

Imperatores Romani Graecis favebant magnopere. Ubi vero Constantinus Magnus Constantinopolim condidit imperiique caput esse jussit, Graecam

166) Plin. epp. IV, 3 et 18. Cramer II, 654.
167) Sueton. Calig. c. 20. Domit. c. 4. Nero c. 12. Tacit. Annal. 14, 20 et 21.
168) Dirksen p. 62—65. Cf. excerpta ex libro de legationibus scripto.
169) Dirksen p. 40—60; 65—73; 77—92.

linguam maxima cepisse incrementa novasque inde et ex novis Christianae fidei libris Graece scriptis hausisse vires facile cogitare possumus. Inde videtur factum esse, ut Constantinus, ne nimis sylvescant Graeca neve Latina parvo aestimarentur, eoque Romani ac, qui occidentales incolerent provincias, offenderentur, Latinam linguam saltem in sacris rebus, in quibus plurimum valebat Graecorum sermo, ad majorem dignitatem provehere studeret. Itaque suis militibus unam certam precem, quae Latina lingua erat composita, praescripsit,[170]) Romanorumque imperatorum vitas Graece scriptas per Tatium Cyrillum, nobilem Romanum, Latinas reddi jussit, ut Eusebii opera interpreti in Latinam linguam tradidit vertenda.[171])

Plurimum eo proficere debebat lingua Latina, quod Christianorum pontifex Maximus Romam sibi elegit sedem suamque linguam reginam quasi omnium linguarum fecit ita, ut omnes, quicunque Christianae fidei erant addicti, communi sacrae linguae complecteretur vinculo. Quae quantaque inde facta sit humanarum rerum atque literarum mutatio, quod alia lingua locuti, alia ad deum precati sint homines, longum est hoc loco exponere, atque in aliud differemus tempus, quo, si deus nos adjuvabit, quale medio aevo aliarum linguarum fuerit studium, quocum scholarum atque omnino literarum conditio cohaeret arctissime, elaborabimus. Cujus studii, quum christiana ecclesia prae caeteris fuerit cardo, in quo versaretur, atque ardor potissimum, quo christianae fidei proferrentur fines, quumque arte typographica inventa magnopere augeretur, fieri potuit, ut, quod somniantium portentum ac miraculum habuissent veteres populi, nostris diebus unus liber, scriptura sacra, strenua maxime Britannorum opera, in centum sexaginta verteretur linguas.

---

[170]) Eusebii vita Constantini 4, 19, 20, 35.

[171]) Dirksen p. 76 et 80.